



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-852010-p0001-4

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-852010-p0002-9

DFG

DISPV TATIO ETHICA.  
**D E T E M P E R A N-**  
**TIA, VIRTUTE MORALI, EX**  
**LIBRO ETHICORUM NICOMACHIO-**  
**rum potissimum Tertio desumta**

*Quam*  
COELESTI FAVENTE NUMINE  
Authoritate & consensu amplissimi Collegij Phi-  
losophici, in Illustrissimâ Argentoratensiū  
Academiâ

Sub PRASIDIO  
**M. IACOBI SCHICKFVSI SVL**  
**BVSIEŃSIS SILESI.**

*defendendam*

Priuati exercitij gratiâ ad disputandum proposuit

**P E T R V S B O R K O V V S K I**  
à Borkovvice, Nobilis Polonus.

*Ad 27. Decembris diem Anni M. D. XCVI*

OS SE



**A R G E N T O R A T I**

Typis Antoni Bertrami Academiæ Typographi.

1596, 5.

MAGNIFICO ET GENE-  
ROSO DOMINO.  
**DN. CHRISTOPHO-**  
**RO KRVPCE, POCILLATORI**  
**SACRAE REGIAE MAIESTATIS IN**  
**POLO NIA FIDELISSIMO.**

Domino & avunculo mihi magnūm colendo  
S. D.

**S**TUDIUM Philosophiae, quam utile sit ac ne-  
cessarium, Magnifice & Generose Domine,  
Avuncule honorande omnes vident; atq;  
etiam ij, qui hac in re nihil vident. Quid enim divini-  
us, quam sub verâ rerum naturalium contemplatione  
divinâ frui conversatione? quid sapientius quæsò exco-  
gitari potest, quam ea speculari, quæ nobis à Platone &  
Aristotele in Metaphysicis sunt relicta? Quid tandem  
præstantius, quam actiones adquirere tales, quibus Be-  
atitudo vitæ huius comparari potest: immò, cœlesti gra-  
tid, cœlestis. Ac in sacris quod legimus, hominem **D E I**  
conditum ad imaginem, imaginem eam tūm in homine  
puto confisci; cum ille divinis hisce & humanis alis in-  
structus ea subit quæ **D E O** grata & hominibus. In  
huius ego amorem à puerō, velut astro quodam inclinante  
tractus, animum non muto, sed augeo: præsertim cum vi-  
deam, nihil Poëtarum, nihil oratorum mella: si non ad-  
jungatur;

jungatur firmius hoc SAPIENTIAE fundamentum. Si-  
ne hoc quid quæstionum Theologicarum vortices? quid  
jureconsultorum disceptationes? quid medicorum ratio-  
cinationes? Pisces sine aquâ, Magistratus sine justitiâ,  
corpus sine animâ. Neq; tamen ignarus sum adeò, sper-  
ni id à quibusdam, ut supervacaneum, ut puerile; & in  
quo parum ad virtutem momenti, parum ad vitam hanc  
terrenam. Sed errant iij errore magno, quos opinio hæc  
percusit. Si enim veteres respiciamus sapientes, est,  
quod miremur, & imitemur. Ita in successione Ionicâ  
divino adflatu videmus erectos Thaletem Melesium,  
Anaxageram Clazomenium, Xenocratem Chalcedoni-  
um, Antiochum Ascalonitam, Clitomachum Carthagi-  
nensem: in Pythagoricâ Antisthenem Atheniensem,  
Diogenem Synopæum, Chrysippum Tarsensem. Mitto  
alios, lippis etiam & tonsoribus notos. Aliam causam  
non reperio, cur Bambaliones isti telum hoc ignominiae  
jacent: quam quod ceu noctuæ lucem hanc fugiant; aut  
si eam sequantur non adsequantur. Aut propterea Phi-  
losophiam è medio sublatam volunt; ut extra omnem  
veritatis essent iectum, in suo dogmatū & opinionum la-  
tissimo campo. Aut eò refugiunt; quod multi in hoc  
studiorum pelago submersi, & incautè vorticibus obvo-  
luti multos in extremam conjecerunt perniciem. Est  
ita; sed quid abusus? castè & cautè Philosophia uten-

A 2 dum,

dum, non ut oblectamento; sed ut remedio & instru-  
mento vitæ huius serio. Sed me cum his componere hic  
non constitui: placet mihi illud Plautinum.

Bacchæ bacchanti si velis adversarier  
Ex insanâ insaniorum facies.

Ad Magnificentiam Tuam Avuncule carissime men-  
tem stylumq; flecto: eamq; ex intimo meo sensu rogo: ut  
hoc munus meum exiguum magnæ gratitudinis apud M.  
T. pignus sit perpetuum. Benè & feliciter M. T. va-  
leat, & mea studia sibi commendata habeat. Argen-  
torato Decimo quinto Calendarum Ianuary sub finem  
Anni clo. lo. **XCVI.**

M. T.

Subjectiss.

Petrus Borkovvski  
Respondens.

# DISPUTATIONIS ETHICAE DE TEMPERANTIA

## THEMA I.

**V**irtutes ἡθικὲς cum sint duplices: & aliæ perficiant irrationalis animi potentiam θυμοτῆτα: aliæ verò a) ἐπιθυμητὴν absoluant: in priori autem Fortitudinem præcedentibus disputationibus vidimus: in posteriori Temperantia nobis cognoscenda erit; quam pro hac συζητήσει discutiendam proponimus.

a) Aristoteles lib. 1. Magnorum M. c. 13. & lib. 2. Eudemior. c. 7. Acciolius lib. 3. Ethic. comment. c. 10. p. 225. n. 115.

### II.

Illa virtus est mediocritatem servans circā voluptates & dolores. Σωφροσύνη ἐστὶ μεσότης ὥστε ηδονὰς καὶ λύπας. Aristoteles lib. 2. Ethicorum Nic. c. 7. & lib. 3. ibid. c. 10. & lib. 1. Magnorum M. c. 22. & lib. 3. Eudemiorum c. 2. & in lib. de virtutibus c. 5. & c. 21..

### III.

Vt verò Fortitudinis duplex objectum b) indicatum est: sic nos hoc loco Temperantiae duplex dicemus; ηδονὰς καὶ λύπας ut ex definitione patet.

b) Aristoteles lib. 3. Eudemiorum c. 1. & lib. 1. Magnorum M. c. 21. & lib. 3. Nicomach. c. 7. & 9.

### IV.

Quæstio est: an magis circā voluptates, an verò magis circā dolores Temperantia occupetur? Prius adfirmamus: quia difficilius, & virtutis est versari c) circā difficiliora.

c) arist. lib. 2. Ethic. Nic. c. 3.

V.

Altera: an in omnibus voluptatibus Temperantiae objectum cernatur? Negamus: cum enim aliæ sint ψυχη, aliæ σωματικη, ψυχικæ hîc omnino excludimus. Nemo enim intemperantem eum dicet; qui in studijs, Musicis; contrâ etiam in luctibus ob amici interitum est nimius.

Aristoteles lib. I. Magnorum Moralium c. 22. & lib. 3. Eudem. c. 2.

VI.

Nec σωματικæ hîc omnes admittimus; sed duntaxat eas; quæ adficiunt gustum & tactum; & percipiuntur ex potu, cibo, & venere.

Aristoteles lib. 3. Ethic. Nic. c. 10.

VII.

Has verò voluptates reverà ipsius Temperantiae objectum esse, quatuor probamus rationibus. Prima: quia hæ voluptates hominibus cum bestijs sunt communes, undè etiā θεράπειαι appellantur.

Aristoteles lib. I. Magnorum M. c. 22.

VIII.

Altera ratio est: nam propter harum voluptatum moderatum usum homines commendantur; propter immoderatum verò vituperantur.

Aristoteles lib. 2. Politic. c. 3.

IX.

Tertia: Tales enim voluptates expetuntur ab hominibus non quatenus homines; sed quatenus sunt animalia sensu prædicta.

Aristoteles lib. 3. Ethic. Nicomach. c. 10.

X.

Quarta ratio tandem ab officio ipsius Temperatiæ dependet, quod est, ut appetitum moderetur, ut intrâ terminos

minos hominis aliquis se contineat, nevè bestijs reddatur similior, aut deterior.

Aristoteles lib. 1. Rhetic. ad Theodect. c. 9. Cicero lib. 5. definib. & lib. 3. offic. & ad Q. Fratrem epist. 1.

XI.

Ex his illud quæritur: an in tactū magis, an in gustu verò cernatur Temperantia? Priùs adfirmāmus. Gustantes enim levitèr cibos adtingunt: tangentes autem plerunq; sunt intemperantes: quemadmodūm Philoxenem fecisse accepimus.

Philoxenes obsoniorum gurges & heluo Gruis collum sibi dari exoptaverat, ut maiore deliciatum voluptate insuis epulis caperetur.

Aristoteles lib. 3. Ethic. Nicomach. c. 10. Casus Quæst. specul. moral. lib. 3. c. 10.

XII.

Neq; omnem tactum hīc intelligimus; sed eum qui sanitatis gratiā suscipitur, excipimus: quali, exempli causa, mane studiosi delectantur in frictionibus, & alijs.

XIII.

Cum verò voluptates incitamenta sint ipsarum cupiditatum, cupiditates etiām hīc videndæ erunt.

Aristoteles lib. 7. Ethic. Nicomach. c. 7. & lib. 3. ibid. c. 11.

XIV.

Sint ergò aliæ φυσικὴ οὐνοματὰ naturales sive communes; quas natura omnibus tam hominibus d) quam brutis ingeneravit: aliæ sint ἴδεοι propriæ, quæ priuatâ & pravâ consuetudine à quolibet comparantur.

Aristoteles lib. 3. Eudemiorum Ethic. c. 2. d) Arist. lib. 7. Ethic. c. 10. & lib. 10. c. 5. Cic. lib. 2. definib.

XV.

In naturaibus pauci peccant; & si peccant, peccant in excessu. Cum enim naturalis cupiditas ea dunt taxat explat, quæ

desunt, perfectò si moderatus cibus & potus non adhibetur, adhibetur excessus oportet: quia paucissimi defectu pascuntur, nisi coacti, aut carcere, aut bello, aut mari.

Aristoteles lib. 3. Ethicorum Nicomach. c. 11.

XVI.

Horum nomen, si quis scire avet, ab indulgentiâ nimia sumat, & γατεράργος tales adpellent ingluviosos, ventri ad insaniam usq; indulgentes.

XVII.

Hominem dicamus talem servilem quia à cibo cum cessandum est, non cessat: in seipsum sævit: vitam secularem lædit: æternam abijcit.

XVIII.

In proprijs autem sive accersitis voluptatibus homines quinque potissimum peccare modis solent. I. est τῆς ποιότητος; cum noxia expetuntur. II. τῆς ποσότητος; cum nimia adsumuntur. III. τῆς κείσεως cum sine iudicio omnia adripiuntur. IV. τῆς τρέπτης, cum modi negliguntur. V. τῆς χρέοντος, cum circumstantiæ temporis reijciuntur.

Cicero lib. 1. de finib. has cupiditates vocat inanes, quia earum neq; finem neq; modum inveniri posse adserit. Aristoteles etiam lib. 3. Ethic. Nic. c. 11.

XIX.

Sed Dolores considerabimus, quos Fortitudini etiam e) Aristoteles pro objecto tribuit. Respondebimus primariò dolores esse objectos Fortitudini, fiducialia secundariò. Contrà Temperantiæ primariò voluptates, dolores secundariò.

e) Aristoteles lib. 2. Ethic. Nic. c. 7. & lib. 3, ibid. c. 6. & lib. 1. Magno M. c. 21. & lib. 3. Eudem. c. 1.

XX. Nam

**XX.**

Nam Fortis respectu periculi, immò mortis dolores fert gravissimos: Temperans autem dolet, quod voluptates nec absint, nec ab ijs abstinuerit.

*Arist. lib. 3. Ethic. Nicomach. c. 6. & seqq. Cicero lib. 2. Thusculan. quest. & lib. 1. de finib. Aristoteles lib. 7. Ethic. c. 11.*

**XXI.**

His propositis actiones & officia viri Temperantis sunt proponenda. Actiones sunt; ut Absentes voluptates modestè expetat: præsentes verò moderatè adsunt.

*Arist. lib. I. M. Moralium. c. 22.*

**XXII.**

Officia sunt: ut honestas voluptates solùm & licitas amplectatur; aversetur turpes & illicitas.

*Aristoteles lib. 7. Nicomach. c. 12. & Cicero lib. 1. Thusculanarum.*

**XXIII.**

Deinde honestis voluptatibus ita fruatur Temperans ne famam viri boni amittat; sed quotidiè augeat.

*Arist. lib. 3. Eudemiorum c. 2.*

**XXIV.**

Quià vero Aristotelicus ordo etiam Virtutum extrema proponat, idem nobis facere hîc placebit.

**XXV.**

Ad nomen quod adtinet, unum quod in excessu est ἀκολασία dicitur. Definitur etiàm hoc modo: ἀκολασία ἐπιθυμεῖ τῶν ἡδέων πάντων, οὐ τῶν μάλιστα: οὐδὲ ἀγελαγέντης τῆς ἐπιθυμίας.

*Arist. lib. 3. Nicomach. c. 11. & lib. 1. M. Moralium c. 22. & lib. 3. Eudemiorum c. 2. & in libell. de virtutib. c. 13. ἀκολασία: γενεσία τῆς ἐπιθυμίας, παθ. οὐ αἰρούνται τὰς φάντασις ιδεονάς. & ibid c. 29.*

**XXVI.**

Illi qui hocvitio laborant adsestibus & cupiditatibus

B pueri

pueris sunt. Ut enim hi sine ratione quævis adripiunt: sic illi omnibus in rebus modum transeunt.

Arist. lib. 7. Ethic. Nic. c. 4. ibid c. 7. & lib. 3. Ethic. Nic. c. 11. & lib. 2. ibid. c. 2.

XCVII.

Hinc rectè delictum ἀκολασία puerile dici potest: præsertim cum cupiditas intemperantis, cum pueri magnam habeat similitudinem.

Aristoteles lib. 3. Nicomach. c. vltimo.

XXVIII.

Alterius extremi nomen est ἀναισθησία, immanitas quædam in adsperrnandis omnibus etiā necessarijs & honestis voluptatibus. ἀναισθησία τῇ τάς ήδονάς ἐλλέιπε, καὶ ηὔπονος οὐ δεῖ χαίρει.

Aristoteles lib. 2. Ethic. Nic. c. 7. & lib. 3. ibid. c. 11. & lib. 1. M. M. c. 22. & lib. 3. Eudemiorum c. 2.

XXIX.

Vitium hoc intèr homines est rarum. Rara immò talia animalia, quæ non jucunda ab injucundis discerne-re possunt: proptereà etiā nomen ferè habere non possunt, ut dictum.

lib. 2. Ethic. c. 7. & lib. 3. ibid. c. 11. multa inter virtutes & vitia sunt ανηψωνυμούσια ut lib. 2. c. 7. & lib. 3. c. 7. monstratur

XXX.

Quæstio jam est, quod vitium magis in reprehensio-nem incurrat? Respondemus ἀκολασίας: quia magis est voluntarium: quia minori periculo ἀκόλαστος ἢ vol-uptatibus sibi temperare potest.

Aristoteles lib. 3. c. 12. Nicomach.

XXXI.

Ἀκολασία tamen ut ad frugem reducatur aliquam, duo hæc observet. Primum ut voluptatibus istis μετέχει-ως utatur.

scutatur. Alterum, ut suas actiones ad certam reuocet rationem. His observatis mediocritatem facilius adsequi poterit.

Hac hoc loco de Temperantia & omnibus ad eam pertinentibus dixisse sufficient.

## COROLLARIA.

I.

*Metaphysicum.*

Vnius ne an plurium sit scientiarum omnia causarum genera contemplari?

Aristoteles lib. 8. Metaph. c. 1. t. 2. & 2. c. t. 2. Distinctè respondebitur. Vide Fonsecam in comm. Metaph. c. 2. p. 440. & Zabarell. in comm. Anal. poster. lib. 2. c. 8. p. 1148.

II.

*Physicum.*

An Physica scientia esse possit, cum tamen necessitatem ἀπλῶς non habeat? Φανερὸν δῆ, ὅτι τὸ ἀναγκαῖον εἰ τοῖς Φύσικοῖς, τὸ ὡς ὑλη λεγόμενον, οὐδὲ αἱ κινήσεις αἱ τέντης; A.

Aristoteles lib. 2. Physic. c. 9. t. 90. & lib. 1. de partibus animal. c. 1.

III.

*Logicum.*

An Accidentia subjecti locum subire possint? Respondemus τῆς κατηγορίας non ὑπάρχεισ. Colligitur ex anteprädicamentis.

B 2 Ad illu.

# Ad illustre suum Collegium

M. IACOBVS SCHICKEVSS  
SUIBVIENSIS fileius. S.

**V**Ltimam hanc vobis, Generosi & Nobilissimi  
Domini de TEMPERANTIA obferimus di-  
putationem. Cum enim quidam aëris metu di-  
strahantur ; rationibus alijs quidam avocentur, hīc  
subsistere, & finem facere nobis placuit. Illud uni-  
cum rogare visum mihi fuit : ut quilibet vestrūm ea,  
quæ adhuc à me scripta sunt & dicta, eo animi susci-  
piat candore, quo exoptavi semper. Nihil enim  
tām in lectionibus, quām disputationibus spectavi  
aliud ; nisi ut quivis verè veritatem Peripatheticam  
sequi & adsequi posset. Nihil etiām exspectavi ali-  
ud ; nisi ut aliquo fructu & studiorum incremento  
sumptus istos in Collegium hoc maximos, viderem  
recompensatos. Video, quod felicitati meæ ad-  
scribo, labores hosce non fuisse irritos. Est itaq;  
quod gratias agamus in primis Nobilissimis & Am-  
plissimis D. D. D. Scholarchis, & Academiæ  
huius Assessoribus, cæterisq; Professoribus : quod  
eam agendi licentiam nobis concederint. Gratiæ  
referendæ singulares illustribus & Generosis D.D.  
Dn. RAPHAELI LESCINO, Palatinidi Brestensi  
Dn. Sa-

Dn. SAMVELI NARVSSEVITIO Castellanidi Smole-  
censi; qui suo favore & amore nos omnes exorna-  
runt: & illustri suâ præsentia, acutissimisq; argu-  
mentis nostras disputationes celebrarunt. Grati  
memorisq; animi omnia studia exhibeamus etiàm  
Magnificis & Generosis Dominis, Dn. STANISLAO  
WOLLOVICZ, vero Collegij nostri Patrono: qui  
sæpiissimè grauitè dicendo, subtilitè disputando  
nobis ad finem usq; adesse voluit: Dn. SVVIEN-  
TOSLAO ORZELSCIO ab Orle &c; qui pari  
humanitate differentes nos audivit. Cæteris de-  
nique & nobilitate & eruditione præstantissimis of-  
ficia nostra obferamus: qui eo animo se nobiscum  
exercuerunt: ut veritas defenderetur; abigeretur  
fucus; *αντίρρωσις* tolleretur. Vobis etiam Genero-  
si & nobilissimi Domini gratias, quas animus meus  
concipere potest, ago maximas: quod primò non  
dediti meas conversationes estis: quod deinde  
operâ meâ in studijs vestris excolendis & promo-  
vendis uti volueritis: quod tandem me amplissimis  
muneribus, & singulari præmio ornaveritis. De  
vincitum me habebitis in omne ævum. Feliciter va-  
lete. Argentorati IV. Kal. Ian. Anni clo. Jo.  
xcvi.

B 3 Ad no-



Generosi ac nobilissimi Domini Pauli  
Succhiodoli.

## Ad nobilem Respondentem

Dn. Petrum Borckovvium à Borkovvice &c.

E P I G R A M M A.

**M**agna quidèm res est præclaro stemmate natum:  
Maior at á magnis ducere nomen avis:  
Maxima sectari vestigia summa parentum;  
Floreat ut stirpis gloria perpetuò.  
Gratulor ergò tibi, celebris quod Aviág Patriság  
Virtutum studijs æmulus esse cupis.  
Sic tibi stemma, tibi sic immortale parabis  
Hic decus æterno nomine PETRE: Vale.

F I N I S.







Kon






# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



HICA.

C R A N.  
R A L I , E X  
C O M A C H I O-  
l c s u m t a

1596, 5.

N U M I N E

imi Collegij Phi-  
t oratensium

E V S I S V I  
E S I I .

lum proposuit

O V V S K I  
olonus.

D. X C V I

4 T I  
aiæ Typographi.